



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. VI. De Consensu conditionato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

inscipere, ut ea in maleficiis abutatur, non debeat illi ministrari, si occulte tantum, sed non ex confessione Sacramentali peccatum hoc a ministro cognoscatur; quia in tali casu fama proximi prevalere debet externa reverentia Christo debita; Unde non debet Sacerdos tali peccato cooperari ministrando illi Eucharistiam, ne occultum hunc peccatorem infamet, juxta doctrinam communem Doctorum.

V. Queritur tertio; Quid faciendum, si contrahentes agnoscentes impedimentum, non possent sine magno scandalo a matrimonio desistere?

Respondeo ex Pont., & aliis apud Perez, posse Sponfos matrimonium contrahere sub conditione, si Papa dispenset; Probabile enim est, matrimonium sub conditione contractum non esse deinde repetendum, purificata conditione; & interim possunt in eadem domo habitare; Et quamvis exponant se periculo fornicationis, excusantur tamen ex occurrentia ingentis scandali; unde possunt, & debent alia via periculo fornicationis occurrere, videlicet orationibus, & poenitentia.

Verum præstat, quod vir faciat votum castitatis ad tempus, videlicet donec veniat dispensatio ab illo impedimento, & deinde publicet se habere votum castitatis: (præscindendo, an illud fuerit ad tempus, an vero perpetuum, ne petatur ab Episcopo dispensatio) unde debeat a Pontifice dispensationem expectare, & interim velle tantum, sicut potest, contrahere sub conditione, quod Papa dispenset; sic enim nec teneretur, nec posset cohabitare.

VI. Queritur ultimo; Sitne mortale omittere benedictionem nuptialem ante consummationem matrimonii?

Respondeo cum communi contra nonnullos apud Sanch. lib. 7. disp. 82., & lib. 3. disp. 12., neque esse peccatum mortale consummare matrimonium ante talem benedictionem, neque esse peccatum mortale illam simpliciter omittere, nisi ex contemptu, aut scandalo omittatur. Ratio est, quia non videtur esse res gravis, nec valde congruens progressui matrimonii; Etenim benedictio nuptialis non est Sacramentum, sed quoddam sacramentale, nec tanti momenti, quanti Sacramentalia, quæ Baptismo præmittuntur. Quamvis autem non vacet culpa veniali, illam simpliciter omittere sine ulla causa contra usum, & consuetudinem Ecclesiæ; nihilominus probabile est, nullam esse culpam ex justa causa, videlicet ratione temporis feriat in Adventu, aut Quadragesima, consummare matrimonium ante benedictionem Ecclesiæ; Cum videatur, esse consilium, non præceptum, illam præmittere: Dicit enim Trident. sess. 24. *Hortatur Sancta Synodus, ut conjuges, ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent*; quod verbum *Hortatur*, videtur significare consilium, ut notat Sanch. Notandum præterea, secundas nuptias non esse iterum benedicendas, quia solemnes Ecclesiæ benedictiones non debent bis iisdem rebus conferri ex cap. *Vir 3. De secundis nuptiis*, etiamsi alter tantum conjugum secundo nubat; Quamvis multis in locis ex consuetudine soleant benedici secundæ nuptiæ, quando alter primo nubit, & alter est viduus, ut Sanch. lib. 7. disp. 82.

ARTICULUS VI.

De Consensu conditionato.

I. In quo differant conditio, demonstratio,

- tio, causa, dies, & modus, qua contractui matrimoniali sepe adiunguntur? Et quotuplex soleat esse conditio?
- II. Nec demonstratio, nec causa adiecta contractui suspendunt, aut vitiant contractum, sed solus error, aut circa eius substantiam, aut circa qualitates substantiales.
- III. Modus adiectus contractui, probabiliter illum non vitiat; quamvis sit rei impossibilis, aut turpis. Dies vero, non secus, ac conditio illum suspendit; non tamen conditio necessaria.
- IV. Contractus sub conditione contingenti, illa purificata, non requirit novum consensum.
- V. Non vitiat matrimonialem contractum conditio impossibilis, aut turpis. (nisi sit contra tria illa bona, Proles, Fidei, & Sacramenti) Alios vero contractus vitiat.
- VI. Conditio ista, Si Papa dispenset, dicitur impossibilis solum in casu, quo nunquam Papa dispensare soleat. Et conditio, si aliter voveat castitatem, aut Religionem ingrediatur, non dicitur esse contra substantiam matrimonii.
- VII. Ista conditio, Si Pater consenserit, quomodo intelligenda?
- VIII. Conditio indifferens, ac impertinens, contractum suspendit.
- IX. Conditiones turpes contra substantiam matrimonii irritant etiam contractum Sponsalium.
- X. Extenditur etiam ad contractum Sponsalium lex, quod conditiones alia turpes, & impossibiles habeantur pro non adiectis; non tamen lex irritans matrimonium clandestinum.
- I. **Q**uæritur primo; In quo differat Conditio a Demonstratione, Causa, Die, & Modo adiectis contractui, sive matrimoniali, si-

ve sponsalicio?

Respondeo, in hoc differre, quod contractus dicatur fieri cum Demonstratione, quando denotatur, seu demonstratur aliqua qualitas personæ, cum qua contrahitur; ut si dicatur: Duco te, quæ es virgo. Fit vero contractus cum Causa, quando explicatur motivum, propter quod fit; ut si dicatur: Duco te, quia es virgo. Fit cum Die, quando denotatur tempus, quo incipit obligare contractus; ut si dicatur: Accipio te in meam post tres dies. Fit sub Modo, quando contractui adjicitur aliquid onus; verbi gratia, Duco te, ut mihi infervias. Demum fit contractus sub Conditione, quando apponitur aliqua conditio ad suspendendum contractum; ut Duco te, si Papa dispenderit.

Porro conditiones, alia sunt honestæ, alia turpes, alia necessaria, alia contingentes, alia impossibiles, alia impertinentes, alia de præterito, alia de præsentis, alia de futuro. Demum conditiones turpes; alia sunt contra substantiam matrimonii, quæ scilicet repugnant tribus bonis matrimonii, idest proles, fidei, seu fidelitatis, & Sacramenti, seu indissolubilitatis, ut si dicatur: Duco te, si venenum sterilitatis sumpseris; Vel si promiseris copiam tui corporis alteri; Vel duco te usque ad obitum tui patris: Alia vero conditiones turpes non sunt contra substantiam matrimonii, ut duco te, si Petrum occideris.

II. Quæritur secundo; Quanam conditiones, aut demonstratio, causa, dies, vel modus adiecta contractui suspendunt, aut vitiant illum?

Respondeo, & dico primo, nec demonstratio, nec causa adiecta contractui suspendunt, aut vitiant illum, etiam si sint falsa; Quare si dicatur: Duco te, quæ es virgo, aut quia es virgo, validus est contractus, etiam si non

non sit virgo. Ratio est, quia ea verba non determinant objectum contractus, nec designant, consensum in illum ferri sub conditione, sed tantum exprimiunt opinionem contrahentis circa tale objectum, & causam contrahendi. Quamvis autem verum sit, quod ille non contraheret, si ea non esset virgo, non per hoc non datur consensus absolutus constitutivus contractus: Etenim solus error, qui sit circa substantiam, seu circa personam, aut circa conditionem personæ spectantem ad substantiam contractus, est ille, qui impedit consensum absolutum: Unde si dicatur: Duco te, quia es Berta, vel quia libera, vel quia primogenita, matrimonium non est validum, si illa non esset Berta, aut non libera, aut non primogenita, ut notat Perez disp. 16. sect. 5., quia in his casibus error est, aut circa substantiam contractus, aut circa conditiones substantiales, ut dicemus quæst. sequ., art. 2. quæst. 2.

III. Dico secundo; neque Modus adjectus contractui vitiat, aut suspendit illum, quando modus est rei possibilis, & honestæ, seu quando contractui adjicitur onus aliquod possibile, & honestum; ut si dicatur: Duco te, ut mihi inservias: Si tamen Modus sit rei impossibilis, aut turpis, probabilis etiam existimo cum Hurt., & Perez contra Sanch. lib. 5. disput. 19., quod neque vitiet, seu annullat contractum; ut si dicatur: Duco te, ut mihi des montem aureum, vel ut fureris, vel ut obligeris ad adulterandum. Ratio est, quia consensus in contractum non habetur dependenter a modo, cum modus non sit conditio; ergo contractus cum tali modo non vitatur, sed est validus, & subsistit.

Dico tertio cum Con., Hurt., Perez contra Sanch. loc. cit., Dies, seu tempus appositum contractui suspen-

PARS VII.

dit contractum, non fecus ac conditio; unde si dicatur: Accipio te in meam post tres dies, matrimonium non est ratum nunc, sed post tres dies; Sicuti cum dicitur: Contraho, si cras pluet, vel si Papa dispensaverit, matrimonium non est ratum, nisi post pluviam crastinam, vel post dispensationem Pontificiam. Ratio est, quia in utroque casu contrahens non intendit ponere contractum perfectum, nisi post tertium illum diem; sicuti etiam non nisi post conditionem purificatam. Neque dicas, disparitatem esse inter tempus, & hanc conditionem, quod conditio ista sit contingens, & tempus illud sit necessario futurum. Nam ex hoc tantum sequitur, quod contractus sub conditione contingenti, contingenter sit futurus perfectus, purificata conditione: Contra vero contractus, cui apponitur dies, necessario post illum diem sit futurus perfectus; non autem sequitur, quod contractus sub conditione contingenti sit futurus perfectus post conditionem, & contractus sub die sit statim perfectus ante lapsum illius diei cum obligatione ligata, seu impedita; ut tenet sententia opposita.

Dico quarto; Conditio, si sit contingens, suspendit contractum; fecus vero si sit necessaria: Verbi gratia, si dicatur: Contraho tecum, si cras pluet, matrimonium non est ratum, nisi post pluviam crastinam: Contra vero si dicatur: Contraho tecum, si cras sol orietur, matrimonium est ratum nunc ante eventum conditionis, tam in foro externo, quam in interno; nisi expresse velint contrahentes suspendi consensum usque ad purificationem conditionis. Ratio est, quia conditio necessaria habetur pro impleta, & ideo ante eventum conditionis necessariae possunt consummare matrimonium; non tamen ante eventum conditionis contingentis: Sicuti

Q ne-

neque ante lapsum temporis praefixi, quando contractui apponitur dies.

IV. Dubium est primo; An contractus sub conditione contingenti celebratus, purificata conditione, sit validus independenter a novo consensu?

Aliqui negant apud Con. Sed communiter affirmant, quia sicuti ceteri alii contractus conditionales non requirunt novum consensum post eventum conditionis, ita nec contractus matrimonialis; quamvis ut contractus sit absolutus, & perfectus, requiratur purificatio conditionis. Hinc sequitur, quod ante conditionis eventum possit talis contractus mutuo consensu revocari; ita ut uterque possit cum alio nubere, neuter tamen possit ante conditionis eventum, altero invito, resiliire; cum ea sit natura contractus conditionalis, ut obliget ad expectandum eventum conditionis.

Dubium est secundo; Utrum dictus contractus sit validus statim posita conditione; an vero quando habetur notitia conditionis purificata?

Respondeo cum Sanch. lib. 5. disp. 7., & Hurt. contra Con., & Perez esse perfectum statim posita conditione, & tunc gratiam propriam hujus Sacramenti conferri: Ad eum modum, quo contractus per Procuratorem celebratus est validus statim posito consensu procuratoris, antequam ejus notitia ad principalem perveniat; Unde si quis ita contrahat: Duce te, si tuus Pater est mortuus, contractus est validus, si revera Pater mortuus est, & solum requiritur talis notitia certa, ut licite possint consummare matrimonium, ne se exponant periculo fornicationis. Quod si quis contrahat matrimonium sub conditione cum duobus, illud matrimonium est validum, cujus conditio primo adimpletur, non vero, quae primo scitur; Si tamen utraque simul adimpleatur, neutrum est

validum propter incertitudinem, ut notant Bonac., Sanch., Con.

Hinc sequitur, quod non debeat esse notus Parocho, & testibus eventus conditionis, ut docet idem Sanch. contra Con., & alios communiter apud Bonac. Ratio est, quia satis est, ut contractus fiat coram Parocho, & testibus, ut praecipit Tridentinum. Quare sicut non requiritur, ut quando matrimonium celebratur inter consanguineos, ostendatur Parocho, & testibus dispensatio obtenta; ita nec requiritur, ut impletio conditionis fiat coram illis. Et ratio radicalis est, quia finis Concilii (qui est, ut non possint ad secundas nuptias contrahentes transire) habetur in casu nostro sufficienter. Non negaverim tamen, hujusmodi matrimonia conditionata non esse facile permittenda, ut notat Con.; & adimpleta conditione, consultus esse coram Parocho, & testibus novum consensum absolutum significare, ut notat Croix num. 762. vel iterum coram Parocho, & testibus matrimonium contrahere; aut saltem illos certiores reddere de conditione jam purificata, ut fert communior opinio, ut possint de ea testari.

V. Quaeritur tertio; validum ne sit matrimonium celebratum sub conditione aliqua turpi; verbi gratia, si fueris, aut si mœchaberis? Et quid si celebretur sub conditione aliqua impossibili, verbi gratia, si volaveris, vel si dederis myriadem aureorum pauperi, quod huic contrahenti sit impossibile?

Respondeo, condiciones turpes esse duplicis generis; Aliæ sunt, quæ adversantur substantiæ matrimonii, seu, ut supra notavimus, sunt contra tria illa bona essentialia matrimonii, ad quæ se debet contrahens obligare, videlicet contra bona prolis, fidei, & Sacramenti, seu indissolubilitatis; ut si quis dicat: Duce te, si sumas phar-

ma-

macum sterilitatis; vel si obligeris ad adulterandum; vel donec inveniam aliam pulchriorem, aut ditiorem: Alia vero conditiones turpes sunt, quæ non adversantur substantiæ matrimonii, seu tribus istis bonis essentialibus, ut *Duco te, si fureris*. His positis; Dico, Conditiones turpes, quæ adversantur substantiæ matrimonii, illud vitare, ac reddere irritum. Ratio est, quia conditio contra substantiam contractus destruit contractum: Contra vero conditiones turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonii (puta, si fureris, si blasphemus); sicut etiam conditiones impossibiles (puta, si digito cælum tangas) non vitiant, seu non irritant contractum, sed habentur in contractu matrimoniali istæ conditiones pro non appositis, tam in foro interno, quam in externo; dummodo adsit consensus absolutus, seu dummodo contrahens non velit expresse suspendere contractum, non purificata condicione. Ita habetur in *cap. finali de conditionibus appositis*.

Hoc tamen non est verum in aliis contractibus, in quibus per conditiones impossibiles explicari solet dissensus potius, quam consensus; & idcirco contractus, quibus conditiones impossibiles apponuntur, sunt invalidi: Sicut etiam si iis apponantur conditiones turpes, quæ ad peccatum alligant. Quare solum in favorem matrimonii statuit *Gregor. IX. in cap. laud.*, quod conditiones impossibiles, & turpes, quæ non adversantur substantiæ matrimonii, si adiciantur contractui matrimoniali, habeantur pro non adjectis, nec irritent illum: Præsumit enim Ecclesia tunc haberi absolutum consensum; Quia tamen veritas cedit præsumptioni, si contrahens vere nolit contrahere, non purificata condicione impossibili, vel turpi, procul dubio pariter contractus matrimonialis esset invalidus, etiam in foro ex-

terno, si in tali foro constaret de consensu taliter conditionato.

Hinc sequitur primo, quod si quis dubitet, num conditiones turpes, quæ non sint contra substantiam matrimonii, joco apposuerit, an animo suspendendi consensum? præsumendum, quod solo joco adjecerit; idque, tum in favorem matrimonii, nam ex *cap. fin. de sententia, & re judicata* in dubio semper pro ejus valore judicandum; tum etiam, quia nemo præsumitur velle peccare; peccaret autem, qui conditionem turpem serio apponeret contractui matrimoniali, reddendo illum irritum.

Sequitur secundo, idem dicendum in dubio; An conditiones impossibiles joco, an serio appositæ sint?

Sequitur tertio, quod si quis ita contrahat: *Duco te, si generationem proli evites, vel si pro quæstu ad adulterandum te tradas, vel donec inveniam aliam gratiorem, matrimonium sit nullum*; quia conditiones istæ turpes adjectæ contractui sunt adversus substantiam matrimonii, hoc est, contra tria illa bona matrimonii essentialia, proli, fidei, & Sacramenti: Secus vero si quis ita contrahat: *Duco te, si pejeres, vel si des mihi montem aureum, matrimonium est validum*; quia conditiones istæ ex speciali lege *Gregor. IX.* habentur pro non adjectis, dummodo nolit contrahens expresse in matrimonium consentire, non purificata condicione.

Sequitur quarto, quod alii contractus, puta, donationis, venditionis, &c, invalidi sint, si iis apponatur conditio impossibilis. Ratio est, quia talis conditio, vel cognoscitur esse impossibilis, & sic non habetur verus consensus; vel non cognoscitur esse impossibilis, & sic debet expectari ejus eventus, ut contractus absolute obliget; & quia eventus conditionis impossibilis nunquam erit,

ideo nunquam erit validus, & nunquam absolute obligabit talis contractus.

Sequitur ultimo, quod si in his aliis casibus apponatur conditio turpis (quæ dicitur jure impossibilis, eo quod servari nequeat jure inviolato) verbi gratia, Dono equum, si blasphemus, si hostem occidas, contractus sint pariter invalidi ante purificationem conditionis, ac debeant rescindi, eo quod aliter ad peccatum allicerent. Quamvis purificata conditio juxta communioem opinionem Doctorum apud Lessi. cap. 18. dub. 3. contra Nav. obligent; quia tunc non amplius ad peccatum alliciunt; Quare ne post patratum crimen obligent, & pro tunc sint validi, ideo antecedenter rescindendi sunt, pro quando sunt invalidi.

VI. Rogabis primo; Num matrimonium celebratum sub conditione, si Papa dispensaverit, dicatur esse sub conditione possibili, an vero sub impossibili, ita ut habeatur pro non adjecta?

Respondeo cum distinctione; nam si in eo impedimento nunquam Papa dispensare soleat (ut est impedimentum affinitatis in primo gradu cum iis, qui non sunt Magnates) dicitur esse sub conditione impossibili; Si vero in eo soleat dispensare, dicitur esse sub conditione possibili, & honesta, & in tali casu matrimonium est validum, non pro tunc, quando contrahentes sunt inhabiles ad contrahendum, sed pro quando obtenta est dispensatio; ita ut non requiratur deinde novus consensus, ut diximus.

Rogabis secundo; An matrimonium celebratum sub conditione, quod aliter prius voveat castitatem, vel nunquam petat debitum, vel ingrediatur religionem, dicatur esse sub conditione, quæ sit contra substantiam matrimonii?

Respondeo negative; stat enim obligatio matrimonii, & jus remotum ad petendum debitum cum voto castitatis, & cum iis aliis obligationibus, ut ostendimus, cum de Sponsalibus.

VII. Rogabis tertio; Qualis sit ista conditio apposita matrimonio, si Patri placuerit? & quomodo intelligenda?

Respondeo, certum esse, quod talis conditio non sit turpis, & quod ab ipsis contrahentibus apponi possit in contractu; ita ut matrimonium non sit validum, sed suspensum, donec conditio impleatur. Verum, quomodo beneplacitum hoc Patris intelligendum sit, variant Doctores.

Dico equidem primo, matrimonium sub ea conditione celebratum esse validum, tam si Pater consentiat, quam si conscius matrimonii non dissentiat: Ita communiter cum Sanch. lib. 1. disp. 7. Ratio est, quia juxta communem sensum per illam conditionem non significatur positivus consensus, sed solum non repugnantia Patris: Etenim non solet intendi, quod Pater faveat positive, sed solum, quod non repugnet, nec agre ferat.

Dico secundo cum Con. disp. 29. dub. 2., Nav., Hurt. contra Sanch., & Pont.: Si Pater primo dissentiat, & mox consentiat; per consensum hunc posteriorem impletur conditio, & perficitur matrimonium. Probatur, quia juxta communem sensum, & intentionem contrahentium verba dictæ conditionis non sumuntur in rigore, sed morali modo; ita scilicet, ut si intra tempus aliquod arbitrio prudentis, & attentis circumstantiis assignandum, obtineatur consensus Patris, matrimonium sit validum: ergo si intra istud tempus obtineatur consensus, quamvis post dissentium, conditio est impleta. Confirmatur, quia si contrahatur matrimo-

monium sub conditione, quod Papa dispenset, & Papa prius denegat Procuratori dispensationem, & deinde remelius proposita, & perpenfa, illam concedat, clarum videtur, quod contractus valeat; nisi aliud constet de intentione contrahentium: ergo etiam in casu nostro: Et ratio radicalis est, quia verba illa, si Patri placuerit, vel si Pater consentiat, solent hunc sensum facere, videlicet, si poteris obtinere consensum Patris; qui autem primo patitur repulsam a Patre, adhuc potest intra breve tempus consensum obtinere, si iterum roget; ergo si vere obtineat consensum, quamvis post dissentium, contractus est validus.

Dico tertio consequenter cum iisdem Auctoribus: Si Pater primo consentiat, & deinde intra breve tempus repugnet, matrimonium non est validum. Ratio est eadem, quia scilicet iuxta communem intentionem contrahentium extenditur consensus conditionatus usque ad aliquod tempus assignandum arbitrio prudentis viri; etenim sensus, & intentio contrahentium est, ut matrimonium valeat, si intra aliquod tempus Pater acquiescat, & non repugnet: Quare si intra illud tempus repugnet, quamvis post consensum, conditio non est impleta.

Dico ultimo: Quando apponitur dicta conditio in matrimonio, si forte contingat, quod Pater antequam consentiat, vel dissentiat, moriatur, matrimonium est validum. Ita Pal., & Sanch. contra Pont. Ratio est, quia in tali casu habetur, quod contrahentes intendunt, scilicet, quod Pater non repugnet. Confirmatur, quia vel cognoscebant mortem Patris contrahentes, quando contraxerunt, vel non; si cognoscebant, conditio illa, utpote impossibilis habetur pro non adjecta, ut diximus, & sic ma-

trimonium est validum; Si vero Patris mortem ignorabant, etiam validum est matrimonium, quia illi intendunt contrahere, modo id non ægre ferat Pater; quod bene per obitum Patris verificatur.

VIII. Quæritur quarto; An conditio indifferens, vel impertinens, verbi gratia, si saltes, si pluat, suspendat contractum matrimonialem, sicut conditio honesta?

Respondeo affirmative cum Sanch. lib. 5. disp. 18. Ratio est, quia omnis conditio jure non improbata potest apponi matrimonio, ut colligitur a contrario sensu ex cap. *Super eo De conditionibus appositis*; atqui conditio indifferens, & impertinens matrimonio apposta nullo jure reprobatur; nam in cap. *fin. De conditionibus appositis* solum rejiciuntur conditiones impossibiles, & turpes, quæ ad peccatum incitant, & non sunt contra substantiam matrimonii; ergo conditiones indifferentes, & impertinentes apponi possunt matrimonio, ita ut illud suspendant, non secus, ac conditiones honestæ. Concedo tamen non vacare aliqua culpa adijcere conditiones impertinentes contractui tam Sancto matrimonii, quod est Sacramentum.

IX. Quæritur quinto; An conditiones turpes contra substantiam matrimonii, sicut irritant contractum matrimonialem, si illi adjiciantur, ita etiam irritent contractum Sponsalium?

Respondeo cum communi apud Perez disp. 12. sect. 2. affirmative; quia Sponsalia ordinantur ad Matrimonium: ergo sicut conditiones turpes, quæ sunt contra substantiam matrimonii irritant contractum matrimonialem, si illi adjiciantur, ita etiam irritant contractum Sponsalium, si adjiciantur Sponsalibus.

Confirmatur, quia Sponsalia nihil aliud sunt, quam promissio matrimo-

nii;

nii; ergo sicut matrimonium nullum est, si celebretur sub tali conditione turpi, ita nulla est huiusmodi promissio. Quare invalidus est contractus, si dicatur: Promitto tibi matrimonium sub conditione, quod sterilitatem procures, vel ante, vel post illud; aut sub conditione, quod obligeris ad adulterandum, vel promitto matrimonium, quod daret per annum.

X. Queritur ultimo; An conditiones turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonii, & conditiones impossibiles, si apponantur contractui sponsalium, habeantur pariter pro non adjectis; sicuti si apponantur contractui matrimoniali?

Respondeo, etiam cum Sanch. loc. cit. & aliis communiter contra Ledesm., & Perez affirmative; quia scilicet Sponsalia sunt initium quoddam matrimonii, & ideo, quod disponitur a legibus circa matrimonium, cense-

tur dispositum circa sponsalia, ex leg. Oratio ff. de Sponsalibus.

Neque dicas cum Perez, quod dispositio Tridentini irritans matrimonia clandestina non extendatur ad irritanda sponsalia clandestina; ergo neque in casu nostro valet arguere a contractu matrimoniali ad Sponsalium. Nam concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in primo casu talis dispositio Tridentini non est favorabilis matrimonio; ergo non est extendenda a contractu matrimoniali ad Sponsalium: Contra vero in casu nostro ista legum dispositio, quod conditiones impossibiles, & turpes habeantur pro non adjectis, est favorabilis matrimonio; ergo extendenda est ad Sponsalia; cum semper in favorem matrimonii judicandum sit, ex cap. fin. De sententia, & re iudicata.

Q U Æ S T I O V.

De Impedimentis Matrimonii.

Certum est, jure naturæ dari quædam impedimenta dirimentia matrimonium; ut est error circa personam, Impotentia perpetua ad usum matrimonii, Defectus usus rationis, &c. Nunc tamen examinandum primo; An jure positivo, sive Ecclesiastico, sive sæculari, statui possint alia impedimenta dirimentia? Deinde de impedimentis dirimentibus jure Ecclesiastico hæcenus statutis agendum sigillatim. Demum de impedimentis impedientibus.

Impedimenta autem dirimentia dicuntur, quæ reddunt irritum matrimonium, hoc est, quæ impediunt, ne valide contrahatur; non tamen efficiunt, ut contractus matrimonii validus, si ea superveniant, irritetur; cum hoc repugnet indissolubilitati matrimonii. Huiusmodi impedimenta, præter impedimentum ætatis, duodecim juxta jus antiquum enumerabantur, quibus Tridentinum adjunxit duo alia, videlicet, Clandestinitatem, & Raptum, quæ omnia his versibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.

Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,

Si sis affinis, si forte coire nequibus: